

198. τέλει γὰρ εἴ τι νύξ ἀφῆ, | τοῦτ' ἐπ' ἡμᾶρ ἔρχεται] Sensum verborum hunc esse patet, nox si quid malorum perficiendum reliquerit, id diem aggredi et perficere. Quamobrem τελεῖν scribendum cum Hermanno. τοῦτ' ἐπ' ἡμᾶρ ἔρχεται per tmesin dictum pro τοῦτο ἡμᾶρ ἐπέρχεται,

206. προσταχθέντα scripsi pro προσταθέντα.

227. ὑπεξέλοι correxi pro ὑπεξελών, quod participium ferri non potest nisi quis unum post haec verba versum excidisse fingere velit.

246 — 251. Hos versus si scripsit Sophocles, non dubitandum quin post v. 272. collocaverit, ubi ego in editione Oxoniensi posui ex Ottonis Ribbeckii sententia (in Museo Rhenano vol. 13. p. 131.), quam impugnarunt alii, inter quos Ioannes Classenus est, acutissimus et accuratissimus scriptorum veterum interpres, nuperrime vero defendit Teuffelius in Fleckeiseni Annalibus a. 1863. fasc. 6 p. 393 seqq.

265. καπὶ πᾶν ἀφίξομαι ex Nauckii correctione scripsi pro πάντ', quod in codice a pr. m. πᾶντ' scriptum, ut El. 659. πᾶνθ' ορᾶν. Usitatum est ἐπὶ πᾶν ἀφικέσθαι, quod librarii alibi quoque non raro in πάντα mutarunt. Electrae v. 1022. πᾶν γὰρ ἂν κατειργάσω restituit Dawesius pro πάντα γὰρ ἂν κατειργάσω, quod est in L. eraso ab correctore ἂν, quod omitti non poterat.

287. ἀλλ' οὐκ ἐν ἀργοῖς οὐδὲ τοῦτ' ἐπραξάμην] Recte, ut opinor, Meinekius ad Oedip. Col. p. 225. corrigit ἐπράξαμεν, quod in ἐπραξάμην mutatum esse videtur propter singularem qui sequitur ἔπεμψα. Eadem de caussa ἔβης in numerum pluralem ἐμέν ab correctore mutatum notavimus ad Electr. v. 21.

305. εἴ τι μὴ κλύεις τῶν ἀγγέλων] εἴ τι μὴ restituit Lud. Stephani pro εἰ καὶ μὴ, quod irrepsit ex v. 302. εἰ καὶ μὴ βλέπεις, alienum ab hoc loco, ut in annotatione ostendi. Modeste loquitur Oedipus εἴ τι μὴ, nisi forte, dicens, quia suspicari poterat vati non ignota esse quae dicturus erat. Quod confirmatur ipsius Tiresiae verbis v. 317. ταῦτα γὰρ καλῶς ἐγὼ εἰδὼς διώλεσα. καὶ particula si uti voluisset, εἰ μὴ καὶ dicturus erat, nisi εἴ τι μὴ multo aptius fuisset. Codicis autem scripturae nihil aliud significare potest quam nihil audisse ab nunciis Tiresiam. Id vero scire Oedipus non poterat.